LEONARDI MARSI SYLVVLA CVI TITVLVS CAR-RAFIANA.



ILLVSTRISSIMO AC MAXIME. R.

Io. Petro Carrafæ Cardi. Theatino
Leonardus Marsus.

CVM Desyderarem, ac magnopere expeterem pater amplissime, mihi aliquando facultatem offerri: ut possem tuam beneuolentiam conciliare: nulla magis idonea uisa est, & accommodata q̃ Syluula hæc multis ante annis a me condita, Carrafiana inscripta, & Andreæ Carrafio tuo consanguineo data, Viro me Hercle omnium uirtutum genere præclaro. Qui non solum inter Cæsaris Consiliarios connumerari: Verùm etiam pro Rege Neapoli meruerit sedere: arbitrabar siquidem cũ eo interijsse, quamuis multa exemplaria per manus fuerint tradita, unde nonulli surculi in alienum fundum translati illius mihi memoriam renouarunt: tibi igitur singulari uirtute, ac doctrina prædito eandem, quæ a me tibi quasi iure hæreditario debebatur, dicare constitui. Quippe cum bonarum artium studiosos consueueris extollere, & ingenijs fauere, & id genus scriptis mirificè oblectari: quod opusculum si a te probari sensero. Vires suscipiam, animumq; exsuscitabo, ut meliora aliquando, & te digniora afferam. Vale.

PETRVS FRANCISCVS PORTINArius Leonardo Marso. S.

SYluam tuam perlegi libentissimè mi Leonarde, si modo carmen ipsum Sylua, ac non potius hortus amœnissimus est appellandũ. Equidem (ita me dij ament) cum publicis priuatisq; curis diuexatus illũ peragrarem proximis diebus, uaria illius cultura adeo sum delectatus, ut pulcherrima licet tempestate ne foras quidem, ut soleo, me recreandi gratia prodierim: sed tanq̃ in Alcinoij Viridarijs olera, floresq; carpens, suauissimaq; poma degustans, maximam cœperim uoluptatẽ. Illud itaq; ad te remitto, atq; una Plutarchi opusculum quod proximis diebus sum pollicitus, Non ut te his (ut inquit Poeta) remunerer supplicijs, sed ut nostra o-

mnia(quando ita lex præcipit amicitiæ)tibi cōmunia faciam. Inuenies in eo(si stilum nostrum ferre poteris)grauissima hercle, ac sanctissima præcepta: summamq; (ut sic dixerim, morum maiestatem. ut non immerito scriptorem ipsum diuitiarum principem appellatum cognoscas. Velim itaq; dū à publicis uacas muneribus ad Critolai libellū opus ipsum expendas, Quæq; castigatione digna uidebuntur, asteriscis, obeliscisq; signes. Tum primū nonnulla in eo recte uersa cogitare cœpero, cum quædam abs te non improbata, quædam etiam emendata cognouero. Vale ex ædibus nostris. III. Nonas Maias. M. D. XXIX.

D. Petro Francisco Portinario Florentinorum oratori Leonardus Marsus. S. D.

NOn dubitarem humanissime Petre te mihi negligentiæ notā inurere posse: q. nec ad epistolā tuā superioribus diebus acceptā, qua Syluulam nostram semotissimā in hortulum ciuilem conuertisti, nec quid ipse sentiam de Plutarchi opusculo abs te latinitate Donato (ut optare uidebaris)rescripserim. Nisi pro comperto haberem te Thermarum potius calori, qui mihi abluenti omnes ferè sensus eneruauit, quàm uoluntati meæ uitio dare. Nunc uerò ad studia nostra iam diu intermissa reuocatus, duxi non ab re fore(ubi tralationem tuam lectitaui) tibi imprimis cumulatissime gratias agere, quippe qui laborem uidendi, nedum legendi nostra uir tot alioqui negotijs cum publicis, tum priuatis irretitus, minime subterfugeris adire. Deinde molestia haud mediocri afficior, q. opinioni de me tuæ neq; iudicio, neq; lingua ualeo respondere. Illud tamen (ita uiuam) uerè sentire uideor, Plutarchum ipsum deposito Græcorum indumento, & accepta Romanorum toga à tua liberalitate data, ornatius foras, & in lucē prodire, eundemq; omnes conspectius intuebuntur, audientq; libentius tuo, quàm proprio sermone loquentem. Vale nostri memor.

❋LEONARDI MARSI SYLVVLA, CVI❋ titulus Carrafiana, ad Illustrißimum Andream Carrafam Comitem Sanctæ Seuerinæ.

TArtareos manes, stygiiq; obscura Barathri
Regna canant alij, aut uastorum dira Cyclopum
Hospitia, immanem Scyllam, tetramq; Carybdim:
Quos uomit Aetna globos lambentis sydera flammæ,
Et Diomedis equos, sæuas Busyridis aras,
Bellaq; phlegræis campis illata tonanti.
At mihi Pierides laxis concedite loris
Ire per Elysium, & carthis connectere pinguis
Delitias horti, atq; dicata cubilia sacris
Numinibus, cœptis soboles Carrafia nostris
Andrea adesse uelis, & euntis dirige gressus,
Ne delyrantis de tramite more recedant.
Tu potes herbarum species possessor, & ipsa
Poma suburbani, fruticesq; aperire canenti,
Sunt ubi delati Pegasæa puppe per æquor
In Scythiam Minyæ, Colcosq;, & Phasidos oras,
Aurea quo raperent uectoris tergora Phryxi:
Mens hominum spreto uitæ discrimine ponto
Credidit infido paulatim mille carinas:
Donec in Orthygiæ sacrata sedilia cuncti
Confluxere Dei, iussu Rectoris aquarum
Irati, uenit proles neptunia Triton,
Nereus Oceani, Phorcus, Protheusq;, Palæmon,
Nereidumq; chorus, Nysæe, Cymodoceq;,
Et Melite, Spio, Doris, Panopæa, Thetisq;,
Et quoscunq; fretum candentibus abluit undis:
Consedere, pater tali spumantia soluit
Ora sono Ennosigæus, humo quater ante tridenti
Percussa, & pelago ter moto a sede profunda.
An nobis data regna premi toleramus inertes

Vndiq; ? num conchis uehitur cytherea per undas
Cum libet? & Delon uisurus sulcat easdem
Cynthius? occidua ueniens regione subinde
Dat sub aqua placidam membris in nocte quietem.
Mortales uerò tynnos, & rete syluros.
Illaqueant, quanq̃ pisces concedimus ipsi,
Et patimur nostro pretiosas gurgite gemmas,
Euelliq; rubras imitata corallia flammas,
Atq; theramneos nunq̃ prohibemus olores,
Strymoniasq; grues, mergos cum corpore toto
Occulere, ac tacitis sinimus resilirier alis.
Quid? quòd ab oppositis iactamur flatibus usq;,
Vsq; procellosis agitamur in æquore nymbis,
In Cœlo nobis statio secura negatur,
Nec locus in terris conceditur aptus, ut illic
Fessi innstauremur, non est hæc insula nobis
Libera, ab arbitriò pendemus Apollinis, eia.
Eia ergo & uolucres pellamus ad aera, classes
Mergamus, uentos rupeis habitare cauatas,
Atq; uiros terras, cœlestia numina cœlum,
Cogamusq; omnes propria in statione manere.
Dixit, & ut stipulam propiorem flamma perurit,
Mox flante à tergo Borea, totum occupat agrum:
Sic Sermo cœtum Neptuni serpit in omnem
Accendens, dictis quisq; annuit ore frementi
At Virgo è tanta surgens Panopæa corona,
Hac (posito fremitu) fugat inde silentia uoce,
O rector pelagi, cognataq; numina diui,
Non ego eo inficias omnes sua posse negare,
Et dare cui libeat, sed defraudare merentes
Esse nefas reor, an liquidis priuabitur undis
In quibus orta Venus, Cyprumq;, Paphumq; datura?
An Phœbus? (taceo Delum) qui Delphica tempe
Crederet, & Pataram. Fluctus si nubibus haustos

Aeria regione capit; num imo uetaret
(Si foret apta) domum nobis in tractibus alti
Aeris? obscuro nec pelleret Aeolus antro
Si petimus, uentos dic qua ratione marinis
Exigere è regnis debes pater optime? nautas
Esto mergamus, pelago suppostra tumenti
Ipsa suos Tellus mersos deflebit alumnos,
Ingratos quorum interitu nos, iure uocabit,
Cum quia multa dedit, tum multa datura q; olim.
Est locus à dextris qui spectat amœna uireta
Pausilipi, à læua cui subiacet inclyta Tellus
Parthenopea, sinu falcato: forsitan inde
Falconis dicunt corrupto nomine rostrum:
Ast aliter iactant (ni sint mendacia uerbis)
Ex una iuuenis perhibetur Oreade natus
Insignis forma, genitor quem Faunus, & omnis
Cœtus Amadryadum Falconem dixit, adultus
Venabatur Apros, Lepores, damasq; fugaces:
Cum uidit Megarim (formosior altera nunquam
Nympha fuit, multis eademq; Euplæa uocatur)
Figentem ceruæ pernicis terga sagittis.
Ictu uno periêre duo, dum bellua telo
Exanimata iacet, iuuenis confossus euntem
Nympham insectatur, fugit hæc uelocior Euro:
Hic tamen instigat, captus modò tentat eandem
Dulcibus eloquijs, ubi su lenire nequibat,
Siste gradus inquit, qui sim ne sperne moneri.
Ipse ego Nympharum quoq; sum de sanguine cretus:
Syluanus pater est, cui nudi festa Luperci
Sacra parant, talem ne dedignare maritum.
Quo fugis? ah teneras uereor premat aspera plantas
Spina tuas, cohibe, casum tibi sæua minaris,
Fata mihi, miserere tui, ni tangit amantis,
Te pietas, hic hic fessi recreemur uterq;

Illa pudicitiam studijs addicta Dianæ,
Dum potuit tremebunda fugæ incumbebat: in uno
Deniq; fessa loco, qui cerula spectat, & altis
Virgultis præcinctus erat, post terga relicto
Venatore, latet. sed quæritat ille per omnem
Secessum, tectam ueluti canis ore sagaci
Inuestigat auem. Vestis per uimina rara
Cana relucebat, faciesq; simillima nitro
Sole repercusso, uidet insectator, & urget.
Ipsa fretum petijt, tellus ubi dira negauit
Tutum iter, at rupes, & inextricabilis alga.
Implicuère pedes: ceciditq; miserrima, Diuos
Orat, ut in tophum potius durescat, & illic
Fama pudicitiæ maneat per secla futura,
Quàm sua Virginitas, & casti frena pudoris
Rumpantur: iustis flectuntur Numina uotis:
Vota Deos tetigere: iacentis membra rigescunt,
Et fiunt saxa, in longum uelut ipsa iacebat,
Concreuit, multi post cursum temporis arcem
Construxère super, deductum nomen ab ouo.
At Iuuenem pariter spatio propiore cadentem
In scopulum nimiam Titania uertit ob iram.
Naturam saxi traxerunt ossa, cruorq;
Sumpsit aquæ speciem terram irrorantis adustam
Quæ fuit ante caro, ceruix (mirabile dictu)
Fit collis, crines durissima robora, pili
Virgulta, & terræ sex iugera corpus obiuit.
Incepit Postis Falconius inde uocari:
Quem nunc à Megari breue separat interuallum.
Vmbriferas illic platanos aspergine uini
Spargere, adhuc Platanon pars una uocatur ibidem,
Inde suburbanum piscinis undiq; plenum
A' se Lucullo placuit uocitare, sed illo
Deleto, quondam sumpsit spoliata priorem

Villa notam, cunctis modo Carrasiana uocatur
Indidit hoc nomen iam à se Carrasius heros.
Consilijs rector rectoris Cæsaris orbis,
Cui modo desertam numen terrestre dicauit
Hanc sedem, tali mansuram nomine, donec
Astra polus teneat, Phœbusq; retexerit orbem.
Hic est ille locus uitæ solatia nostræ,
Alma parens Tellus quem sæpius obtulit ultro:
Munificus nec enim renuit possessor, at unà
Accumbet dapibus, diuumq; subibit honores.
Hic Vere assiduo nullis offenditur Euris
Nec Iouis ira nocet, semper purissima cœli
Temperies, si in pace petas, dabiturq; repulsa
Tunc sedes quærenda minis. sic desijt ipsa.
At ueluti ad summum spumanti ebullit aheno
Vnda, superfuso frigentis flumine Lymphæ,
Actutum refluos ponit depressa tumores.
Sic accensa sono Neptuni turba furorem
Virgineo monitu subito compressit, & ipse
Aequoreæ regnator aquæ parere monenti
Decernit, cunctos uolucrem conscendere currum
Protinus imperitat, cursum contendere uersus
Tyrrhenos fluctus, linquebant æquore fusas
Cycladas, Olearon, Diamq;, Paronq;, Donysam:
Ipsa Paros niueo, præclara Donysa uirenti
Marmore, prætereunt quam circuit unda Zacinthum
Inde sinus radunt, unde alta Ceraunia, templum
Actiacumq; patent, longo mox læua tenetur
Circuitu, à dextris declinant arua Tarenti,
Et procul aspiciunt nigris fornacibus Aetnam
Ostia Panthagiæ, strepitu qui olim omne repleuit,
Concussitq; solum, Cereris modo iussibus amnis
Per latos tacito decurrit murmure campos.
Quid referam quanta cautes leuitate Pachyni

Atq;

Atq; Gelam linquunt? donec petiere rigentes
Syrenum scopulos, illinc clamore secundo
Monstrat Virgo locum tantis ambagibus ante
Descriptum: fixo mirantur numina cliuum
Intuitu, casum Megaris speculantur in undis:
Atq; proci sortem pariter miserantur amaram,
Dumq; propinquabant, illic quæ lenta iacebat,
Terra caput tollens, uenienteis aspicit, inde
Alatos cognoscit equos, sæuumq; tridentem,
Et currum, littus properè descendit ad imum:
Et Fauni, & Dryades, comitesq; iuuere Napeæ,
Atq; unà Satyri, ut portum tetigere, repente
Coniunxêre manus, atq; oscula blanda dedere.
Ipsa uiæ causam quamuis præsaga, requirit.
Quærenti causas aperit Panopæa uiarum.
Quam mihi sæpe dabas Fiducia, fronte pudore
Compulit abiecto, nos hanc exposcere sedem,
Quò properemus ait, dum sæue immurmurat altum.
Talibus officijs accedet gratia maior
Vsq; tuis, dixit. contra cui talia reddit
Alma Parens, non est Fiducia poscere Diui,
Quod uestrum est, quantum complectitur Amphitrite,
Sponte capi potuit, nec enim petijsse licebat,
Aonides quamuis habitent Helicone relicto
Hæc loca, concordi nutu teneantur utrisq;.
Hæc ubi dicta, manum Neptuni apprehensa per omne
Ducit amica solum, illos cætera turba secuta est,
Dum nutu, & tacito signabant lumine, quantum
Horto sufficiat, quadrato cingere muro
Et sulcare uiam Genius festinat in horto.
Interea uolitans reliquorum fertur ad aures
Fama Deûm properè, tantarum nuncia rerum.
Vt sibi conciliet Neptunum Cypria, primum
Venit, utroq; uiæ quàm multa hastilia Myrti

Margine dispoſuit, topiaria pinxit et inde
Palma Voluptatis, peſtana roſaria circùm
Liliaq;, & uiolas, & cana Liguſtra Napææ
Concinnant, aliæ Narciſſos, atq; Amaranthos,
Illa crocum, & Nardum; Hæc factura papauera ſomnos,
Et queſcunq; gerit Tellus in uiſcere flores.
Germinat ægrotis ſucci panacea ſalubris.
Puniceis permiſta roſis Saliunca uireſcit.
Plurima quæ uerſis Late eminet area glebis,
Veſtitur folijs Apij, & radice uagantis
Mentæ, oleris pulli, rutæ, ſpirantis Anethi,
Exoriturq; Thymum, Thymbra, & Saturea ſapore
Conſimiles: Veneremq; ciens Eruca morantem.
Aptior affetæ Veneri ſuccurrere Sandix,
Intyba, Chærephylum, Siſer, & Lactuca, Sinapis
Quæq; fugant proprio naſturtia odore Chelydros
Capparis, atq; inulæ, caules, & cymata, rapa,
Alliaq;, & Bulbi, Staphylinus, & Vlpica, cæpe,
Atq; tarentini, & quos gignit Aricia porros
Ocima, ſerpillum, ſanſucum, & Amaracus, albi
Beta pedis, ſed fronde uirens; & trita podagram
Quæ iuuat Atriplex, longoq; cucurbita collo,
Et Cucumis, marathron, duplex Buglosſa, cuminum,
An dicam Abrotonum? aut inimica Abſinthia muſcis?
Aut quæ multiplici libanotis fronde uireſcit?
Totq; alias ſpecies? aliud dictura, referri
Lingua negat. Steriles Satyri conuellere plantas,
In quarum Pomona locum deduxit ab hortis
Penſilibus, uigili, pomaria cincta Dracone.
Tutior Alcinoi, nec eſt tuus hortus Adonis.
Vnde rubicundo collucent tincta colore
Et niueo quædam denſantur mala, & utroq;
Miſta, ſuboſcuris palleſcunt plurima formis,
Illita ſanguinea lactisq; aſpergine mora

Carpuntur passim, quibus & cerasuntia Ponti
Indidit Vrbs nomen, quorum Aproniana rubescunt,
Actia nigrescunt, & quæ cinguntur amictu
Præduro, atq; istis contraria, pomaq; rident
Punica: Quæq; gerunt sub cortice Apirina grana
Dulcia, cretæis delata Cydonia terris
Flauescunt, referat uarij quis pruna saporis?
Persicaq;, & ficus, Syriorum cottana, pyra,
Zinzifa, seu tuberes, & Citria, mespila acerbi
Corporis, aut uentres haustu durantia molli
Sorba recenseret? uel tot melimella, nucesq;
Iuglandes, summo quæ sunt sacrata Tonanti
Dona, tarentinis nunquam cessura, nec absunt
Et prænestinæ, Thasiæq; & Pinus ab ida
Vecta manu Cybeles. Vitis rarescit Iacchi.
Digerit at Genius quincunce tot ordine plantas
Quot glandes Dodona, & habent quot Gargara aristas.
Fixit humo plures oleas Tritonia uirgo
Vt te monstraret quem numina cuncta sacrato
Proposuere loco splendor Carrafæ Pacis
Semper amatorem, sed si clangore tubarum
Extimulet Mauors (ut sæpe) & mittat in arma,
Iuppiter inseruit quercus, ut tempora circùm
Sentires quernas uictor redimita coronas.
Consita plæbeis Laurus Parnasia palmis,
Vt cognoscamus quæ sint commercia tecum
Musarum: quantoq; habeas in honore Poetas.
Si quis ab Aßyria uectos, Lybiaq; feraci
Colligere auderet frutices, numeraret harenam
Arentis Lybiæ citius, uel sydera cœli,
Siue maris Pisces, omniq; in arbore frondes.
Naiades implessent placidis uberrima riuis.
Arua (licet puteis Latices cum reste trahantur
Fictilibusq; tubis delapsa procella subintret

Cisternas.) sed egent prius astra salubria roris
Quàm rus astrorum, tanta est clementia cœli.
His ita dispositis Carrafius incola cernit
Magnificas deesse ædes, & palatia cultu
Digna Deûm, statuit subitos extollere muros
Ante ubi Lucullus, quo mollius ocia sacri
Dij peragant, ductu quadrato Palladis arte
Fundamenta iacit, quorum fastigia, & ipsas
Picturas animo conceptas altera dicet
Syluula plus amplo forsan referanda palato.

LEONARDE Ornatissime. Tibi florenti Aetate, Ingenio, & Fortuna, non possum non gratulari. Veteres scribendi elegantia æmularis, soluta oratio dulcis est, carmen plenum, profluens, & canorum, & quod te beatum facit, sortitus es Mecænatem principem, uirum omni Laude præstantem, Qui te excitat, & exornat. Vale.

Petrus Grauina tuus.

Antonius Amiterninus.

Quod mihi misisti nuper Leonarde legendum
Dulcius hybleo melle poema tuum est.

Romæ Apud Valerium, Aloisiumq; fratres, Brixianos Impressum.
Anno Domini.
M. D. XXXVIII.

DE VARIIS

IMAGINIBVS

In quadraginta duabus

TABELLIS DEPICTIS

CVM MVLTIS DOCVMENTIS, ET Cohortationibus ad Virtutes amplectendas, & vitia vitanda, pręcipuè mendacia, fraudes, & insidias; Vt cognita nostra fragilitate, & necessitate ad Virginis Matris, & Diuorum pręsidium confugiamus.

Auctore

F. PATRITIO LVSITANO
Ordinis Eremit. S. Augustini.



FLORENTIAE, Apud Petrum Cecconcellium, *Ad Medicaa Sydera, Superiorum Permissu.* 1621.

Ad Illustriss. & Reuer. D.
CARDINALEM MONTALTVM.

DEnsus imaginibus paries subit altus, & extat
[A] Lysiadũ domui; promptaq; causa patet.
Pictor eas posuit, placeant vt prorsus amicis,
Inuidus, & nequeat dilacerare manu.
Defectus quoniam sublimi in parte locatos.
Longinquis oculis nemo videre potest.
Altior est nullus mons te: qui iure vocaris
Mons altus: merito hic carmina nostra loco.
Ergo quibus [B] mundi varias depingo Tabellas
Carmina, perpendas candide, & alte precor.
Rodere quis poterit rabiosis dentibus illa,
Quæ sunt excelso culmine fulta tuo?
Inuidus ille quidem numeris his pũctus acerbè,
Nunc ita munitos num lacerare potest?

[A] Lusitanorum.

[B] i. Hominum, & eorum legũ timor, & respectus.

AD LECTOREM

IVRE senectutem solari semper oportet;
Et quandoq; animum sic recreare satis.
Hinc ego pingebam nostra hæc simulacra serena
Mente domi: à curis quando remotus eram.
At tibi mandatas nunc prelo mitto Tabellas
Ductus amore tui, consule amice bone.
Spectatum venere senes, iuuenesq; frequenter;
Cunctis pando stylo singula queq; breui.
Multa aliquando rogant multi; quibus illa repono
Quę in mentem veniunt, & satis his facio.
Ne mirere, equidem sum pictor, doctor, & idem,
Et diuersa viri munera sæpe gerunt.
Mundani mundana parent ludibria mundi:
Verum, quæ Domini sunt, documenta paro:
Cunctorum fabri, tracto fabrilia seruus
Indignus; miscens [A] dulcibus [B] vtilia:
His in imaginibus Mundi ludibria promo,
Ille, & imaginibus ludicra cuncta tegit.
Verbis [C] ille pijs sæuus mentitur, & ornat
Omnia: sed moneo veraq; dico piè.
Hic rudis accipiat iuuenis præcepta minora.
Maiora accipiant hic documenta viri.
Nec minus hic docti quã multa exempla capessét
Ignarus capiat propria multa sibi.

[A] Dulcib' i. imaginibus.
[B] vtilia i. documenta ille.
[C] i. Mundus.

DE

DE VARIIS
IMAGINIBVS
IN QVADRAGINTA DVABVS
TABELLIS DEPICTIS

TABELLA PRIMA.

DAEmonis, & Mundi primam hanc propono tabellam, Genes. 3.
Artes amborum disce: sed ipse caue.
A Dæmonis en verbis; sed B Mundi figit acutis
Euæ cor iaculis ambitiosus C amor.
Dulce offert serpens: Mundus tunc vtile suadet,
Eua errat credens, omnia amore sui.
Densus imaginibus mentitur Mundus, & arte
Dum bona promittit: dat mala plura simul.
Pulchros Argenti montes promittit, & auri:
Murem sed fœdum, ridiculumque dabit.
Qui tanquam tigris, gladius, mortisue minister,
Omnes dilanians, maxima parua facit.
Non percussorem, non mox ea vulnera nosces,
Inflicta ignorans tela cruenta tibi.

A Primi ex tribus hostibus hominis.
B 2. hostis.
C 3. hostis.

Dæmo-

Dæmonis insidias primi haud nouere parentes
Cæci promissis, læthiferisq; dolis;
Discimus experti iamque ipsi damna videmus,
Et pęnas, quarum causa fuere patres.
Eua venenatam se sensit Dęmonis astu
Non nisi, dum morti tradita viua fuit.
Serpens Diuinæ promisit munera vitæ:
Vitam sed vanam, mortiferamq; dedit.
Mortis nam veræ (mentito nomine vitæ)
Eua viro reddit tradita poma sibi.
Illa suum carum decepit cara maritum:
Nunc ita decepti decipiunt alios.
Cum natis natorum heu primi obiere parentes;
Hinc morimur semper, totaq; vita mori est.
Terra suos fructus fęcundos fecerat ante
Vltro: nunc vero nil nisi, culta facit.
Hinc bella, hinc morbi, hinc æstusq; & frigora surgunt
Nascitur hinc nobis omnis imago mali.
Clausum tunc Cœlum, tunc tartara aperta fuere:
Insidias tendit nunc inimicus homo.
Troiæ sic Danai pro voto dona tulere.
Sic misera æterno corruit exitio.
Inde fit vt vafra subnixus imagine Dęmon
Omnia confundens nunc resupinèt ouans.
Fallitur ergo omnis, subito qui credit amico;
Quem debet potius rite probare prius.
Mundus delitijs sæuissima vulnera furtim
Figit peccatis, cordaq; nostra ferit.
Si quis nos fallit, maiori fallimus arte:
Deceptus discit multiplicare dolos.
Deficiunt vires, & iam succumbimus. Ergo
Proni imploremus Virginis auxilium.

TABEL-

TABELLA II.

O Consolatrix, ò spes mortalibus ægris
O decus, ò virtus, præsidiumq; tuis.
Virgo parens, Euæ nomen: tu namq; sinistræ
Ac que mutando, nomina fausta nouas.
Illa fuit tristis, sed tu iucunda vicissim;
Illa nouerca grauis, tuq; serena parens.
Mœsta fuit pariter bellorum causa perennis:
Læta sed æternæ sæcula pacis habes.
Te duce cor vellet penetrare hęc nubila densa
Carceris humani, flamine Virgo tuo.
Est labyrinthus atrox flexis ambagibus ingens
Mundus: captiuum me miserumq; tenet.
Immunis tanta quæ regnas labe malorum:
Fac nos immunes Virgo Deiq; parens.
Captiuos alios redimis ditione retentos
Dæmonis: heu redimas, meq; beata simul.
Nos sumus impliciti peccati funibus vsque;
Omnia iam nobis vincula solue reis.
Lumen tu clarum; lucens, & imaginis altus
Splendor, virtutum semita, duxq; viæ.
Virgo procellarum sidus; tum ianua Cœli,
In Cœlum nostræ dirige nauis iter.
Humani generis factoris nata, parensque,
Qui quoq; me genuit sanguine rite suo.
Te mihi constitui Matrem; sum filius ergo
Et tuus, & nati, virgo sacrata tui.

Diligit

Diligit en auia exiguos per blanda nepotes:
Sic nato nati blandula sis auia.
Es fecunda quidem fœcundæ, ac arboris arbor
Maxima maioris prolis alumna piæ.
Saltem quod sequitur certe mihi nemo negabit.
Filius est clemens sic quoque mater erit.
Sed Christo est proprium tum debellare superbos
Subiectis veniam tum dare sponte suam.
Clemens tu simili, Virgo pietate coruscans
Da mihi iam fructus, quos solet ille dare.
Arboris ex vmbra qua totum protegis orbem
Subiaceam vt tutus da mihi, virgo, precor;
Omnipotens, sapiens, æternus, diues, & ingens,
Filius immensus deniq; virgo tuus.
Fœcundæ dignos vt carpis ab arbore fructus.
Vtilis est arbor sic preciosa tibi.
Vere talis eris mater fecunda fecundum
Fructus, quos peperit filius ecce pius.
Omnibus ex libano collectis floribus almam
Mira te matrem condidit arte suam.
Deniq; tu Mundi mater concede petenti,
Vnus vt ex natis sim tibi natus ego.
Dum repeto toties eadem tua nomina (testor)
Sentio me accensum lumine, virgo, tuo.
Sancta parens iterum summi repetoq; Tonantis;
Virgo Deiq; Parens hoc erit ergo satis.

TA-

TABELLA III.

ACcipe nunc pietas multas dilecte figuras
Sunt paruę, & pulchrę satq; colore nitent
Ecce venit quidam verbis comitatus, & ore
Plurima promittit, sed tibi verba dabit.
Alter amicorum turba stipatus abibat.
Nullis omnino postmodo cinctus erit.
Corpora ceu Corui sectantur mortua viui;
Vesci dum possunt talibus vsq; cibis;
Horrida sic homines infensa, & fœtida quęrunt:
Dum pascant epulis viscera plena suis.
Candide sinceros raro numerabis amicos
Apparent quanquam plurima signa foris.
Quisq; velim nobis patientes commodet aures,
Hæc repetens imo pectore verba suo.
Te mundus sequitur, facie ridetq; serena:
Ecce tuas, non te, cuncta sequuntur opes:
A te sed mundo faciem auertente sequuntur
Tunc reliquos, non te: solus egenus obis.
Quanti te faciant homines, si forte requiris:
Quęre prius census te quid habere putent.
Hac tu mensura reliquos metire sodales;
Noueris, & quanti deniq; quisq; valet.
Effigies hominum variæ; vix noscitur vllus:
Quisq; suam varijs mutat imaginibus.
Sæpe die cernis mutantem Protea vultus:
Et voces varias, det modo verba tibi.

Multi certe homines quædam simulacra videntur
Vera mihi: vero quippe colore carent.
Acta sua effingunt multisq; coloribus ornant;
Multi vt cognoscunt esse necesse sibi.
Vt fugias laqueos, technas, vafrasq; figuras:
Virginis ad sacræ confuge matris opem.
Figulus arte sua sic infima vascula cælat;
Vt verum dicas Alcimedontis opus.
Alter mentitur claro sic organa vitro,
Vt sonitum expectes dulce canente viro.
Clauos auratos iam cernis candide lector,
Auro etiam multo lignea vasa tegunt.
Verborum artifices similes in candida vertunt,
Quæ nigra existunt, decipiuntq; viros.
Vestibus en proceres varijs fulgentibus ornant;
At quæ alijs rebus corpora foeda tegunt.
Quæ tu ficta vides, eadem iam quæris honoris
Causa: deberes candida velle tamen.
Alterius prauo conaris viuere more;
Alterius verbis plurima vana facis.
Moribus antiquis multi præsentia pingunt
Crimina; nec sanctos heu simulare pudet.
Cæcus sanatus, percepto lumine claro,
Ecce homines pergunt arboris instar, Ait.
Apparent homines multi sic sæpe minores
Instar magnatum, semper & alta volant.
Sunt personati multi, qui plurima dicunt,
Et faciunt; homines decipiuntq; leues.
Qui cum personam videant, non intima cernant,
Intus mente carent, exteriusq; ruunt.
Laruati multos perterrent; quippe timentes
More columbarum simplicitate cadunt.
Ecce assentator ridet, si forte videbit.

Tunc

Tunc te ridentem: si gemis ille gemit.
Si ploras plorat, lacrimis, sequiturq; dolentem.
Et quaecumq; facis, protinus ille facit.
Muneribus sumptis homines placantur iniquus,
Crudelis, constans, integer, atque bonus.
Munera si veniant caeci sunt Argus: & ipse
Linceus nil prorsus, Sole micante, videt.
Pondera se inuitans affecta ferre Camelus:
Vtque onus accipiat crura reflectit humi.
Regnare affectant sic multi poplite flexo
Sponte sed inuiti sollicitiq; regunt.
Et cum sint sristes animo, alba se pulchra videntur
Ad sua nosq; vocant munera pulchra foris.
Tunc meminisse suae rationem reddere vitae,
Quando cogentur quam graue pondus erit.
Tunc genio indulgent minime: sed viuere tadet:
Orant ex animo, suppliciterq; Deum,
Ergo tuis rebus saluis tibi consule, lector,
Ne post peniteat te didicisse male.
Quae tamen haud quaeris, nolenti, & pondera dantur
Accipias credens id voluisse Deum.
Nam seruire Deo debes; vt sancta voluntas
Postulat eiusdem: ac indicat ipse tibi.
Christo dilecto perfecto semper amore
Aram sinceram viscera pone Deo.
Sancta Dei serua, diuinaq; iussa quiescens
Priscis mandatis, consilijq; Patrum.
Lenibus inuitus iuuenis, qui paret habenis:
Indomiti fiet iam ferus instar equi;
Qui non mitescit cultura rite monetis.
Inculti is nemoris tristia tesqua colat.

TABELLA IIII.

D*Iscere si curas aliquid si vera doceri:*
Vtilia hæc, iuuenis pectore conde tuo.
Stant vix mendaces lignis, surguntq; caducis:
Hi sunt loripedes, cruribus & breuibus.
Currere non possunt, fugiunt nec protinus: immo
Præuenti à pueris, veridicisq; cadunt.
Daniel.13. *En Daniel retegit veteratos labe malignos:*
Susana en surgit: Sed cecidere senes.
Ecca maritus adest mendax, vxorq; Saphyra
Accipiunt factis præmia digna suis.
Omnia sunt hominum vanis suffulta columnis:
Quæ quantę existunt, tanta ruina manet.
Vndiq; muniri muris te credis abenis
Robore, diuitijs, ingenioq; potens.
Ecca venit febris, tot tantaq; sternit, humiq;
AEquat, vt inuenias ista fuisse nihil.
Est humana fides diuinæ iuncta saluti,
Fundamentum altum, & firma columna poli.
Qui se stare putat, caueat ne forte ruina
Immineat maior, siue putata minus.
Omnia deficiunt, quanto maiora putamus
Nos nactos: potius sępe minora patent.
Omnis homo proprie est fragilis; sunt cuncta caduca:
Durat Diuinus deniq; solus amor.

TABEL-

TABELLA V.

O Comes, atque ſenex aures mihi porrige gratas;
Et quicquid dicam, perſpice corde tuo.
Aſpice pro nihilo primatum vendit Eſau
Ob viles lentes, ingluuiemq; breuem.
Hic animaduertas quam ſit tua parua voluptas
Peccati, & meritum, pœnaq; qualis erit.
Ante tuum aſſenſum iam ſcis certo eſſe futurum;
Vt te pœniteat: te cohibe ergo prius.
Totus enim mundus vadit, ſequiturq; retrorſum;
Partibus in ſummis inferiora locat.
Fundamenta iacit ſuper alti culmina tecti;
Sub pedibuſq; caput pingere triſte docet.
Diſcolor hæc adeò petulans horrenda figura
Iudice te certo; quod videatur opus.
Quando quadratis coniungit ſæpe rotunda,
Et leuia in grauia is tollit, & ipſe premit.
Quod breuiore fugit ſpatio mox temporis optat;
Odit quæ durant, quæque futura manent.
En ſolidis vana, & pretioſis vilia præſtant.
Pro paruis etiam magna relinquit homo.
Dulcibus, & ſpretis nonnunquam quærit amara,
Expleat vtque animum tunc ſibi dira petit.
Sunt latebræ plenæ tenebris, ſinibuſq; reflexis:
Arcæ ſunt finibus, ſunt loculiq; ſatis.
Inſidijs arce laqueis; ac intus abundant
Obſcuros aditus quis penetrare poteſt?

Syderibus dominans prudentia numine quodam,
Quæ sinuosa latent; omnia plana facit.
Dum densa astutus credit se nube latere:
Tunc sapiens penetrans interiora videt.
Actibus ex prauis, & verbis corda notantur.
Nemo potest etenim dissimulare dici.
Anguis dum viridi latet insidiosus in herba:
Frigida tunc cauto corpora fuste necas.

TABELLA VI.

Ista tabella monet caueas amice tenebras;
Quæ te circundant vndiq; teq; premunt.
Mundus lucis inops abscondit cuncta sub vmbra
Tu loca tuta tene: sed tenebrosa fuge.
Insolita est, fateor, sed grata erit ista tabella,
Fœtet: sed cautos nos & odore monet.
Jam fraudum factor mortales inficit omnes:
In Cœlum ascendit prouocat inde Deum;
Cui proprium cum sit, misereri continet iram,
Propter quæ nostri commeruere patres.
Tanti fœtoris tetrum non sumit odorem:
Putribus est quisquis mersus imaginibus.
Si velit omnipotens mendaces perdere cunctos,
Quot remanent homines, qui benè vera ferant?
Iam respondetur remanent, qui vera fatentur
Ore: & sunt latebris viscera plena malis.
Ipse tuis oculis reris te pulchra videre.
Decipiunt oculi, decipimurq; magis.

Plerq;

Pleraq; sunt Mundi noctis phantasmata quædam;
Est plenus laruis noctiuagisq; feris
O' Pater omnipotens, præcordia nostra serena
Quæ bona sunt pateant, quę vitiosa simul.
Ne claudas oculos mentis tu lector, & ora:
Vt sua cæca Deus pectora luce beet.

TABELLA VII.

ECce tibi trado quædam simulacra videnda
Plus oculis mentis, percipe cuncta benè.
Dulcis imago Dei fœdatur imagine mundi.
Heu animam culpis est maculare nefas.
Dic mihi qualis erat quando te rite creauit
Omnipotens: versa est hæccine imago tua?
Quæ mutata fuit, seu quantum distat ab illa,
Muneribus fuerat quæ cumulata sacris.
Candida quæ fuerat, nigrescit, pulchraq; turpis
Fit: te deformem non pudet esse, miser:
Talis imago Dei potius nunc esse videtur
Cæsaris, heu cur non reddis vtriq; suum.
Corporis est vestris tegumen: quo frigora pellas.
Et post peccatum membra verenda tegas.
Pauper & inde petis vanos, & quæris honores:
Quod tibi naturæ dextra coacta dedit.
Densus imaginibus vanis est mundus iniquus,
Nos petit insultans, sollicitatq; minis;
Ergo age nunc vitam in melius, moresq; reducas
Atque Deo Domino, debita redde tuo.

TABEL-

TABELLA VIII.

Fides humana id veritas.

SVme duas pariter iunctas, variasq; figuras:
Nostra petit Cœlum, hic cœlica mœsta manet.
Credo fidem humanam Christo viuente moratam
In terra, & vires tunc habuisse suas:
Verum paulatim vires amittit, & orat,
Quis sibi sit præsens, auxiliumq; ferat,
Per quæ casas, humiles, laqueataq; tecta meanti
Raro vna ex multis est patefacta Domus,
Præterea crebro responsis anxia duris;
Nescit quid faciat; pectore mœsta iacet.
Diuinamq; fidem affatur, quæ dixit: Amica,
Ne cunctere; polum sed pete linque solum.
Sis humana licet, nequaquam viuere fas est
Inter mortales; queis odiosa noces.
Nomine namque tuo perturbas omnia. Quæso
Mendaces tecum quis sociare potest?
Tecum (crede mihi) præclare prorsus agetur;
Si fugiens mundum sydera sponte petas.
Quid tua verba iuuant; monita, aut tam multa tulere
Vtile quid? potius noxia plura ferunt.
Christus Thisiphonem mittet seu forte colubros:
Territus vt saltem vera loquatur homo.
Quæ nolunt oculi, aspiciunt, augentq; dolorem:
Cernere te talem me puduisse scias.
Ægram te verbis quando solabar amicis,
Me solabaris: quid modo tristis agam?

Virgine

Virgine cum nato Christo, sanctisq; frueris,
Prome desertâ quæso precare Deum.
Tunc humana fides lacbrymans hæc pauca loquuta est;
O' soror, ò Nutrix, mater, amica, vale.
Alto concludens grauiorem corde dolorem,
Vtens fecundo, sed breuiore stilo.
Cepit festinans tenues volitare per aures,
Est que vbi nulla vnquam vana figura manet.
Sed Diuina fides mordaci saucia cura
Viuere non poterat, tristis vbiq; dolet.
At quæ diu plorans, nimio confecta dolore,
Tanquam orbata manens hæc pia verba refert.
Sum diuina, tamen tranare en nubila tento
Læta meis pennis, carpo & ad astra viam.
Ianua clausa mihi, cœlesti & dicitur ore:
Illa est nobiscum, tu cole tarda solum.
Inuictos superas Reges, sæuosq; Tyrannos
Diuinam poterit quis maculare fidem?
Illa etiam longo, iactata est ægra labore,
Nec poterat varias anxia ferre vices.
Exijt è Mundo merito, tu sola manebis
Inter mortales, nomine tuta tuo.
Omnipotens morbo; Mundoq; medebitur omni,
De pacto debes ne meminisse quidem.
Tum Diuina suo lachrymas ex corde profundit,
Et queritur dicens. Te ne carebo soror?
Quis sine me fœlix potuit conscendere Regna
Alta poli, Christo, & Virgine Matre frui?
Hic alto mortales, meliori, & nectare pasci
Non datur, in patriam, nec licet ire mihi.
Sedula sed Domini dictis contenta quiescam
Mendaces hominum tum tolerabo vias.
Ergo age care mihi iam te delectat habere
Cælum: virtutum sic iuuet ire viam.

TABEL-

TABELLA IX.

PRopono prudens exemplar imaginis altum;
Maxima ne admittas crimina, parua fuge.
Ecce Caim fratrem morti dat quaero quid inde?
E terra sanguis clamat ad vsque Deum.
Extitit occisor saeuus fratriq; sibique
Est fratri saeuus, seuior inde sibi.
Nam capiti signum impressit tunc tale Caino
Omnipotens, letho letus, vt ipse foret.
Et iucunda quidem mors; imo vita fuisset,
A tantis damnis libera iure datis.
Sed Deus inuito pro poena hanc prorogat aegram
Vitam: infoelicem perpetuamq; dedit.
Viuens foetebat, plusquam si mortuus esset;
Foetoris tumulo viuus humatus erat.
Qualis erat plane prae se foetore ferebat,
Viuus se prodens abditus en quis erat.
Num id satis est signum, vt posset nosciq; fugiq;
Quod Deus instituit, ne quis obesse queat?
Magnus ab exiguo peccato, nemo repente est:
Sed lento crescunt crimina tarda pede.
Horrida nam facile est comittere crimina, si quis
Criminibus leuibus iam male plenus erit.
Plurima committens veteratum seruat odorem
Ille diu, & sordes poenae lauare nequit:
Tandem desperans, infesti limina ditis
AEternum infoelix inferiora colit.

Mun-

Mundus præterea filo dependet ab vno.
Hæret arundineo per fragiliq; gradu.
Est adeo Mundus vitijs oneratus, vt axis
Iam declinato vertice præcipitet.
Pagina sacra docet pereant vt bella volentes
Prælia placatis hostibus; ergo fine.
Abre te quamquam fortes odere inimici,
Vt sis perfectus tu quoque redde bona.
Insons sis quamvis: inimicus sit licet acri,
Corde tamen puro cuncta remitte cito.
Dum vinces temet tunc fortia mœnia vincis,
Nulla etenim virtus dignior esse potest.
Cum quibus heu fratres mensa nos pascimur vna,
Ex lateris Christi sanguine potus inest.
Et patris eiusdem cum simus rursus, & ipsi:
Pignora fraternus pectora iungat amor.
Ni simus fratres inter nos corde: Parentis
Eiusdem nati: possumus esse Dei?
Si quis de Christi sancto discedat ouili:
Illum quis Christi computet inter oues?
Nulla datur merces illi, qui forte recedens
A reliquo imprudens agmine miles abest.
Militia est vita ratio: qua dæmona contra
Pugnamus; cunctos nos decet esse simul.
Funis tripliciter nexus vix rumpitur. Ergo
Simus coniuncti semper amore Dei.

TA-

TABELLA X.

EN simulacrum aliud cernis, tu singula membra
Iam speciosa vides, omnia mente tene.
Gustato Sisara extraxit de lacte soporem:
At caput infixus vulnere dulce perit.
Dum putat optata tandem se pace quietum,
Occidit mulier, dum fugit ille virum.
Id genus optatam dat mundus sæpe quietem
Illis, quos prodens excipit arte tamen.
Post lac dat vulnus, pro dulci melle venenum;
Vltima dat luctu gaudia mixta truci.
Inter Serpentes, Tigres, sæuosq; Leones.
Viuimus, ac facimus tot metuenda nihil.
Dormimus tuti, mersiq; sopore profundo:
Dum Mundus clauo tempora nostra fodit.
Quid facis, ô iuuenis non expergisceris, vt quid?
En nobis properans imminet atra dies.
Heu scopulos imos, & operta pericula vitæ,
Quæ te præcipitant, sint speciosa licet.

TABELLA XI.

VLtra Sauromatas fugite hinc, et spernite mundum
Viuentes caute, sanctè, & amate Deum.
Mortales fallunt, & fallit mundus eorum:
Rorant pigmentis cuncta adoperta dolis.
Insidię solem obscurant & noctis vt vmbra:
Verus homo à prauo sæpius opprimitur.
Plurima (crede mihi) mendaci nube teguntur.
Hincq; herba serpens insidiosa latet.
Non pede quisque suo metitur se, omnia mauult:
Quisq; aliena sibi, tum sua quisq; sibi.
Perfida vestra fides poterit debetq; vocari:
O' homines, quando nullus amor fidei.
Omnia vana quidem, sed Christo tuta volente,
Eius si ex puro pectore amator erit.
Quisq; malos mores fugiat; bene viuere discat:
Atque animum sanctis ornet imaginibus.
Lumine Christe tuo fac me splendere figuris
Veris, vt vere dem documenta viæ.

TABELLA XII.

SIste gradum fili sit qualis imago tuere
 Vtraque quam ostendo, quam tibi trado, vide
[A] Fœminei erubuit dum saxi morte perire.
 Fortis [B] dux gladij tunc sibi quærit opem.
AEquo animo tolera prudens, & nulla recuses,
 Quæ Deus instituit mittere sorte tibi.
Quam multi miseri periere cupidinis armis:
 Et cupiunt hodie fœmine obire manu.
Quot se fœlices dicunt, clamantq; beatos:
 Fœminea tandem si moriantur ope.
Isti infœlices; similis dux ille videtur;
 Ignorant etenim mortes obire diem.
Vt sint mendici illi nocte diequæ laborant;
 Regnaque, & imperium diuitiasq; volunt.
Sic te contemnens temendos quæris honores.
 En contra ventos per mare carpis iter
Destruis ædificans iterum texisq; retexens;
 Retrorsum rediens pergere stulte putas.
Qua Sol se mergit dicis te velle venire.
 Ignarus veniens vnde resurgit aquis.
Christi colam iactas te; sed præcepta tenere
 Christi comtemnis, dic mihi, qualis homo es?
Nulla opera exerces; quę Christus iusta reposcit.
 Hostis re Christi, nomine amicus eris.
Quæritis amentes flocci facienda minora:
 Contra diligitis nobiliora minus.

[A] Iudic 9.
[B] Abimel.

Omni-

Omnipotentis amas verè si filius esse:
Ipsius quæ sunt omnipotentis age.
Verbosus penitus diceris, sis rogo verax:
Vt vero Christo velle placere probes.

TABELLA XIII.

HVmano capiti formoso membra ferarum
Partibus obscænis aspice mixta puer.
Saulus ab armigero occidi tunc optat, & orat
Rex sed spe uacuus; nam miser ipse cadit.
Gratus, & acceptus fuerat, qui more puelli
Rex factus spernit dulcia iussa Dei.
Ex humeris sursum reliquos super eminet omnes
Fortis, magnanimus, surgit in arma potens.
Quiq; acie incedit numerosa cinctus equestri,
Spretus hummi serpit saucius, atque perit.
Virtutum genere excellit qui preditus omni,
Perditus existens post reprobatur homo.
Principium melius nemo potuisset amare;
Quam fuit infœlix, exitus ecce probat.
Quod late interius, confirmat quale futurum,
Quod vult omnipotens plusue minusuè dare.
Consule quid facias intus, mox perfice lector:
Ne tardes, propera: nam mora sæpe nocet.
Si semel assumptum manibus dimittis aratrum;
Fies indignus, qui mereare polum.
Ergo tuos sensus rationi subijce: quæ fit,
Vt princeps capitis semper in arce tui.

Percus-

Percussus grauiter dubitans, vel ne moriare
Vulnera vulneribus desine stulte dare.
Sentis te luctu nimioue dolore grauari.
Auxilia excelsæ Virginis alma pete.

TABELLA XIIII.

DIuersos casus, dubia, & discrimina rerum,
Expertos grata, candide, sume manu.
Est is Iob patiens; Tobias alter amoris
Diuini, & fratrum densus imaginibus.
AErumnas tolerant, ac infortunia: tandem
Pristina restaurat, sed magis auita Deus.
Omnes si tentem laudes celebrare diuorum
Hæ non deficient, deficiente die.
Quam vero fuerint ambo similesq; paresq;
Id sacra ab historia, candide lector habes: Tob.1.c.
Namq; ait exemplum virtutum vtrumq; fuisse,
Inq; locis aliis plurima digna refert.
Aduersa hic nosces pariter simulacra secunda,
Vt varius dubij temporis ordo docet.
Insignes pietate viros, animoq; potentes
Specta: te quando magna videre iuuat.
Fœlici, & misera perpendes sorte beatos:
Diues vterq; miser, pauper vterq; fuit,
Pauper vterq; sibi, dum prospera cuncta fluebant:
Aduersis rebus diues vterq; Deo.
Pauper donando, & patiendo diues abundat.
Diues non donat, diuitiasq; fugat.

Dona-

Donamus Christo, qui in Cælo plura reponit;
Qui patitur, Cælo, plurima diues habet.
Magnas diuitias tibi nam patientia præstat.
Cui tu das nummum, dat tibi pauper opes.
Cæcus Tobias sublatum senserat hædum:
Sed subito Domino restituatur, ait.
Vxor deridet, derident vsque propinqui,
Officium eximiæ, quod pietatis agit.
Amissum natum dum deflet: iure Gabellus;
Quæ iam debebat restituenda capit.
Dum defunctorum sepeliuit corpora lassus;
Fit, cæcus, pauper, fit pariterq; miser,
Pauperibus dederat quæ sedulus exprobrat vxor,
Cuncta sed illa cito multiplicata videt.
Non ne vides qualis fuerit patientia Sancti,
Iobi, qui iustus tot mala sæpe probat.
Eliphas insultat, detrectant vxor, & illi;
Qui socij fuerant: non tamen ille cadit,
Duris, & gaudet factus preciosus vt aurum
Igne fit, & summo victima grata Deo.
Dum mihi nonnunquam casus venere sinistri,
Afficior pœnis, atque dolore premor.
Dum tamen amborum grauiores cerno labores,
Tunc ea quæ patior, sunt leuiora mihi.
Inlatus at Christi, dum mitto, siue repono:
Omnia parua quidem, sed mea grata puto.
Ambos si vero coner conferre vicissim,
Tempus tunc rebus, deficietq; mihi.
Lilia sunt certe, vel pulchri deniq; flores,
Qui tua conuertunt lumina quisq; sibi.
Aeternas tandem sedes peperere beatas,
Et modo cnm Christo, Regna quieta tenent.
Opprobria, & duri casus, ceu currus Eliæ, 4. Reg. 2.

Igneus absterſos hos ſuper aſtra vehunt.
Atque reliquerunt mendacia, qualia Mundus,
Dat: fructus quales perpetimur miſeri.
Si res aduerſas tolerabis, ſiue ſecundas,
Aequo animo: auxilium pauperibuſq; feres.
Sic tibi contiget diuinos cernere vultus,
In cęlo: ac omni ex parte beatus eris.

TABELLA XXIIII.

MActe puer, ſenſuq; ſenex mihi prontus ad eſto:
Vos intenti omnes ora tenete viri.
Cernite quo pacto tenuiſsima aranea tractet,
Stamina de proprÿs viſceribuſq; neat:
Vt capiat muſcas cruciatur nocte, dieque:
En texit telam ſedula ſtulta tamen.
Non ſemper miſeras vidit aranea muſcas:
Interdum telam paruula capta ſecat.
Vnuſquiſque ſuam telam ſibi texit iniquam,
Et ſibi non parcens pernicioſus, agit.
Affluis ò lector, qui multis rebus opimis:
Eſto contentus, tunc tibi vera quies.
Inuidus exiſtens tabeſces ipſe ſecundis,
Alterius rebus; ſic tibi damna feres.
Crede mihi inuidia nullum inuenerę tyranni
Maius tormentum: ne cruciare vide.
Viſceribus proprÿs intexis aranea tamquam
Viſcera marſupÿ ſanguinis atque tui
Ordiri quando conaris retia cuiquam:

Naſci-

Nascitur hinc etiam tristis imago tibi.
Exoptas gladio quemquam si forte ferire:
Alterna expecta vulnera danda tibi.
Argutis instas qui verbis lædere famam;
Aut vitam alterius, ne capiare, caue.
Hostem quis bello vicit sine puluere saltem?
Quis struxit multis sumptibus absque domum?
Tandem cogeris rationem reddere quodnam
Officium exerces, seu pietatis opus
Quid respondebis: si contra lædis inique, Matt. 25.
Persequerisq; homines: nil latet ecce Deum
Amplectare ergo mortales semper amore:
Syncero, & puro, denique corde iuua.

TABELLA XVI.

DIgne senex noster sapiens, & amabilis. Ecce
Signa triumphantis iam Rationis habes.
Ante Dei aduentum hæc humilis prostrata iacebat,
Sed iam Diuina luce refulget ouans.
Nunc Princeps, Domina, et moderatrix cũcta gubernat:
Quæ geris, & dicis: grata sit ergo tibi.
In mundo quondam iucunda, & amena sedebat
Planities: stygio, quæ super hoste fuit.
Hinc mortale genus lata ditione regebat.
Cui mens in scelerum nocte iacebat iners.
Venit lux mundi Christus; caligineq; omnes
Sustulit è media; talia verba loquens.
Ad me omnes properate viri, puerìq; senesq;

Ad me omnis celeret sexus vterq; pedem:
Namq; meum persuaue iugum est, mea sarcina dulcis,
Quos labor excruciat: pergite ego requies.
Dixit, & illato diuino lumine prædam
Fortior inferni faucibus arte rapit.
Verus vt amphion, verusq; Orpheus Iesus,
Ex Cruce ceu cythara talia verba canit.
Nec mora corda hominum dura, & siluestria traxit:
Dein vero extruxit regia tecta suis.
Regia composuit denis ad aperta fenestris:
Bis quinque inscripsit iussa vbi sancta sua.
Secum ferre iugum exhortans proprioq; suoq;
Exemplo erudiens nos tolerare Crucem.
In medio posuit rationem ex nocte redemptam,
Luce sua Illustre; cui quoque sceptra dedit.
Sublimi quæ ex sede homines moderamine recto
Inde gubernaret; iuraque sancta daret.
Quinque viris mulier, quę nunc deiecta iacebat,
Illos nunc frænat, sub pedibusq; tenet.
Fœmina nam fuerat Ratio circundata quinque
Sensibus humani, tunc generisq; feri.
Aggrediantur eam tormentis nocte, dieque,
Fortia tam fragilis prælia ferre nequit.
Efficit at Christus precioso sangnine fortes,
Et nos victores; Cęlicolasq; facit.
Rhinoceros veluti indomitus, qui quando puellæ
Carmine sopitus, perdomitusq; datur.
Sic ratio recto dictamine corda serenat,
Aspera, sic animos exuit illa truces.
Hester 5. *Qualis pulchra æsther veniam dum poscit Hebrais.*
Assuerum in famulas concidit ægra manus.
Talis natura humana est, quæ mole suorum
Sub scelerum, meritis, ô bone Christe tuis.

Fortis

Fortis in amplexus cecidit rationis, & inde
Accepit lucem: quæ dat in astra viam.
Altera quæ pulchram complexu sustinet Esther,
Ecclesia est signis, quæ iuuat alta suis.
Iure ergo pater Aurelius Ratio (inquit) ab alto
AEthere demissum munus inest homini.
Per quod virtutem à vitijs discernit; vt illam
Quærat, & hæc fugiat; ceù Deus ipse docet.
Cur rationalis dicetur: dic mihi, cuius
Et vita, & mores heu ratione carent?
Est homo, concedo, sed quid nam distat ab vno
Quadrupede; humanæ, qui nihil artis habet.
Abre qui loquitur quamplurima, coruus vt ille,
Et sua nil constant omnia verba sibi.
Ergo tuo lector ratio sit semper in ore,
In rebusq; suis, ha c duce cuncta gere.

TABELLA XVII.

FIli visceribus diuersas imprime formas,
Ante oculos mentis, quas tibi pono tuæ.
Si Christum queris, nihil est, quod cætera quæras,
Cum Christo venient omnia quippe tibi.
Cætera si quæris sine Christo: iam omnia perdis,
Imminet inde etenim tetra procella tibi.
Pannosum ne vides scabiosum, & frigore curuum,
Qui miser ad solis spicula membra fouet.
Ante erat hic diues: sed rerum prodigus, imò
Omnes opprobrijs incitat ore suo.

Subiectis animosus erat; valdeq; superbus:
Elatis verò, voce modestus erat.
Militibus pastor duris est blandus, & aequus,
Agnis at blandis est feritate lupus.
Iste suas ædes, agros, & predia vendit:
Seruiat vt magno, munificoq; viro.
Mortuus est Dominus, consumpta pecunia tota:
In causaq; fuit luxuriosus amor.
Nullæ sunt vestes, non æs, non vlla supellex.
Confectus senio, quid nisi corpus habet?
Claudus, Cæcus, inops tenui sed arundine fultus
Ambulat, in fœno, deniq; dormit humi.
Si seruire viro claro decus esse putatur:
Quid seruire Deo clarius esse potest?
Quippe timor gelidus calido coniunctus amori:
Vtilis est: Cęlum nam penetrare facit.
Dilige quæso Deum, vt tu semper ameris ab illo.
Aeterna vt capias præmia iustą tibi.
Diligere in Cęlo semper vis candide lector;
Dilige, & in Cœlo semper amator eris.
Formicæ exemplo iuuenili æstate labora;
Vnde alijs prosis: viuere, & vnde queas.
Vere iuuentutis, læti quo tempore flores
Carpuntur: senio carpere tuq; stude.
Quamuis difficili numquam succumbe labori:
Defesso vt veniat lęta senecta tibi.
Præterit iste labor breuior, longusq; propinquat
Fructus, in æternum qui manet, ecce venit.
Non audis iuuenis, vel dormis? cerne quid instet:
Qualia te iam iam, quotq; pericla premant.
Quod venit in mentem, non mox operare, sed intus,
Corde preme instituens, & ratione regens.

Ergo

Ergo age care mihi stultorum gaudia sperne:
Spretis delicijs carpe laboris iter.

TABELLA XVIII.

NVnc animus meminisse horret, viresq; cadentes
Desunt: auxilium ni mihi, Virgo, feras.
Quæ modo nam pingo sapienti grata videntur:
Ignaro verum sunt odiosa quidem.
Sanis insani (sicut sunt) namq; videntur
Verum dementes omnia stulta putant.
Christum discipuli stultum tunc forte vocabant, Lucæ 24.
Quod vult omnipotens opprobriosa pati,
Ast illos Christus tardos, stultosq; vocauit:
Acta quia affirmant stulta fuisse Dei.
Pauperies vulgo nobis aduersa vocatur:
Tuta quidem vitæ, sed via certa poli est.
Damna quidem multis, quæ numquam nota fuerunt,
Hæc Deus impulsus, sed pietate dedit.
Paupertatis enim primum sibi signa coaptat
Christus, dilectis discipulisq; dedit.
Quid sit paupertas gusta, quid viuere lætus,
Et sine curarum pondere, amice proba.
Nil tibi, ni gustes, poterit conferre voluptas
Corporis, ac animæ, care age, sume, proba.

TABELLA XIX.

DIscere si curas aliquid : si vera doceri :
Vtilia hæc iuuenis, pectore claude tuo.
Corde tuo prudens en percipe nostra, viator :
Sunt simulacra diù picta labore graui
Cunctarum rerum nos fallit imagine Mundus,
Gaudia qui simulans, gaudia vera negat.
Sordida dat vere; quæ nobis pulchra videntur,
Dulcia plura vocat : sunt sed amara nimis.
Qui fœlix, fortis, sanus, locuplesq; putatur,
Debilis est potius, pauper, & ipse miser.
Quid decor, aut robur, turgensq; scientia prodest?
Quid certæ antiquus nobilitatis honos?
Regnaq; & Imperium, quid sunt nisi puluis, et vmbra;
Hæc tamen heù sequimur, deserimusq; Deum.
Gaudia quæ in Cœlo semper durantq; manentque;
Et nos ęterna prosperitate beant.
Spernimus, & vere speciosa relinquimus vltro
Quæ nos participes numinis esse dabunt.
Mundus imaginibus promittit prospera gratis,
Re vera præstat perniciosa dolis.
Quę exterius cernis; ne fallant: mentibus imis
Præmeditare prius Noxia pulchra caue.

TABELLA XX.

ISta figura homines de summis mutato nimis
Seria (crede mihi) sæpe iocosa facit.
Iustitia heù mæret; deletur, & omnis imago
Veri, & regnandi sola cupido regit.
Non habita virtutum, non ratione malorum
Vtraq; confundit, miscet, & in tenebris
Sæpe malos etiam decorans ad sydera tollit:
Ingenuos temnens tartara ad ima trahit
Magnus de paruo fiet mox milite princeps.
Ac iterum ex claro principe miles erit.
Rhetore de minimo euadet mox præsul, eritq;
De locuplete iterùm præsule rhetor inops.
Mundus imaginibus vanis mutatur; ibidem,
Est nunquam sedes; sed variare libet.
Hic animaduertas, vt Mundus quando iocatur,
Corporeis oculis, & ratione caret.
Obscura obscurans quæcumq; orditur, agitq;
Cæcus enim cum sit; pleraq; cæca facit.
Ne cæcum faciat te incautum lector apertis
Viue oculis: etenim pessimus hostis adest.

TABELLA XXI.

In quantis tecnis homines versentur, & errent,
Pingere cum vellem, tum cecidere manus.
Nam sunt tantæ artes, sunt, & tam multa dolosa,
Quisque vt iam fieri pleraq; posse putet:
Et sine consilio audacter temeraria tentat:
Omnis iam vulpes ingenii sus homo est.
Artifices quidam plane mendacia fingunt;
Et vili precio plurima vana dabunt.
Arte sua intexunt, taliq; colore renident,
Egregium cunctis, vt videatur opus.
Fœnici similem faciet se rancida vulpes:
Ex nigro coruo fiet, vt albus olor.
Hic grauis vt plumbum factus leuis alta volabat,
Certe plus cautus, quam Icarus ille fuit.
Icarus haud solus: sed plures arte volantes,
Sunt hodie fallunt artibus vsque suis.
Dulcibus en verbis nos fallit Mundus, & arctis,
Torquet imaginibus, cordaq; nostra mouet.
Crimina sunt pulchris depicta coloribus albis:
Virtutes mixta sæpe colore nigro.
Lector te moneo si iam peiora probasti;
En meliora probas: vtile sume bonum.

TABELLA XXII.

STulte tuum nescis finem lachesiq; putandum est,
Quod neat extremum, iam superesse parum.
Si certò scires tandem te sæcula multa
Victurum: debes plura videre tamen:
Qui non cessat adhuc Mundo se credere cęco.
Cęcior is Mundo, dum male credit, erit.
Ecce tyrannorum exemplar, tu cautus habeto,
Vtere, dum poteris, stultitia alterius.
Tarquinis Romæ sit, nil de Rege superbo,
De morte aut vita, quæ monumenta manent.
Quid moror? en ingentem opibus, Regnoq; tyrannum
Siciliæ pueros edocuisse ferunt.
Discite mortales quid iam sit Mundus, & eius
Quid valeant vires, quidq; tyrannus agat.
Demon acerborum sæuissimus ille tyrannum
Sęua ipsos cruciat, dilaceratq; manu.
Altior vt fueris, sic te submissius erga
Præsta tunc homines, & dominare tibi.
Ne te deijciat Mundus de culmine tanto;
Et quem pressisti sub pede iure premat.
Visis præteritis, presentibus, atque videto
Vtile quid facias, prouideasq; tibi.
Ponderis ò fili quanti hæc sint, mente reuolue,
Ante oculos semper pone futura tuos.
Consule nunc animum, qui vera, & candida dicet,
Qui cum sit sapiens, optima queq; monet.

TA-

TABELLA XXIII.

Prouer.26.

NOn tibi displiciat Mundi hanc vidisse tabellam;
Namq; ibi Mercurij, pietus * aceruus erit.
Num ergo fortunam (mutato nomine) Mundum
Dicam, qui cæcis fallit imaginibus.
Qui volat ancipiti fortunæ more secundis,
Tristibus aut pennis: nullibi pene manet.
Nunc humilis, nunc alta petens, nunc deprimit illum,
Nunc alium extollit, sæpe, & vtriq; nocet.
Non offendaris fili; si forte videbis
Indignos alto, sepe sedere gradu.
At contra doctos, sanctos, atque alta merentes,
Contemptos humili sæpe iacere solo.
Cuique suum præbe, vt reliqui, tu promptus honorem,
Vt iam possessum munus obire queat.
Pontifici veteri tunc defert Paulus honorem,
Ignorans plane quem prius ipse negat.
Magni ergo facias reliquos, & iure sedere,
Crede gradu; indignos tu licet esse putes.
Immemores estis vestei, qui patre relicto
Christo, illum vultis, qui male præstat opem.
Fortunamq; Deam facitis; cui fertis honores;
Numine, qui nullos suppeditare potest,
Vanos non numquam forsan præbebit auara
Valde cum damno, cum vtilitate parum.

TABEL-

TABELLA XXIIII.

HIc modo perpendes: Sit qualis imaginis huius,
 Virtus; quid moneat, significetq; tibi,
Est Christus constans, nunquam, & mutabilis erga,
 Quos semel assumpsit, semper honore beat:
Verus amor, Diuinus amor: qui numine sacro,
 Reddit nos diuos, participesq; Dei.
Iste humanus amor generat mendacia plura;
 Præcipitat socios, sathanicosq; facit.
Tempora labuntur, certatim labimur ipsi:
 In præceps ruimus mortis ad vsque diem.
Est nihil in Mundo certum, aut durabile: nulla
 Vel dici possunt vera, vel apta tibi.

TABELLA XXV.

Ecce tabella, die quam disce, & nocte viator;
Quam si nolueris discere, redde mihi.
Gaudia prætereunt iuuenilis præterit ætas;
Certe est æternum nil, nisi amare Deum.
Perspice quam cæco, quam vano errore tenentur
Qui quærunt Mundum. Quid iuuat iste labor?
Quæ venit ex vanis, quenam est nisi vana voluptas?
Quid prabent mellis gaudia plena aloes?

TABELLA XXVI.

ABdita corde tuo, hæc fili simulacra reconde,
Quæ tibi dum pingo, pectore promo meo.
Bulla fuit Cæsar, Mundiq; ruentis imago;
Magnus Alexander, quid nisi fumus erat
Sæpe triumphando lætum pœna canebat;
Dant pœnas hodie: dum male facta dolent.
Laudo Rectores patienter pondera acerba
Expertos: quamuis sæpe molesta putent.
Interdum at primos repetunt, subeunq; labores;
Aeternam vitam quo sibi prouideant.
Gaudia succedunt ærumnis; omnia læta
Credant; vt mulier cum parit ægra putat.
Cum peperit iucunda petit, quæritq; labores
Iam passos; iterum quos tolerare cupit.
Hoc natura facit pereat ne funditus Orbis,
Nam sine præfecto, nec domus esse potest.
Noscere vis Mundum? perpendas qualis imago
Eius: quid species, quidq; figura docet
Aurea dicuntur, sed terrea multa probamus:
Nigraq; sunt intus, dulcia, clara, foris.
Nam curios simulant ebrij, Mundumq; voracem
Ecce tegit lenis, pellis ouina lupum.
Diuitias homines quærunt per saxa, per vndas,
Perq; ignem, tandem, quæ sibi parta nocent.
Nostra sitis crescit; sed quando plura tenemus,
Expletur nunquam diuitijs animus,

Res.

Res vanę nequeunt implere hæc viſcera vana,
Solus corda bonis implet, alitq; Deus.
Magnns Alexander Mundo ſaturare nequibat
Cor: lapide incluſus, ſed tamen ille ſilet.
Quæ tibi nunc veniunt in mente conſule lector,
Perfice; quodq; animus iudicat eſſe bonum.
Conſilium multis tu rectum ſępe dediſti,
Vt Medicus plagas, ſic medicare tuas.

TABELLA XXVII.

TRes eſtit fidi iampridem veri, & amici:
En trado vobis, hæc ſimulacra tria.
Ingluuiem, vt lector mediteris, tempora, mortis,
Mors maior præſtat vi metuenda tamen.
Ni fuerit præſens mortis memoranda figura:
Triſtis, & infœlix, eſt tibi vita ſenex.
Iſta figura ſcias tibi conuenit: accipe quęſo.
Nam mortem tandem tarda ſenecta colit.
Ingluuies, Venus, & ludus tria noxia valde,
Ecce viris, pueris ſunt ſenibuſq; nimis.
Hæc ſemper turbant audacem quippe iuuenta
Occidunt gladijs guttura namq; ſuis.
Ingluuies homini ſeruit, famulantur eidem,
Quæcumq; in Mundo condidit ante Deus.
Tempus edax homines lapides, confringit, editq;
Dentibus en ferri guttura plena tenet.
Dentes ſunt anni, menſes, momentaq; parua
Horarumq; vorax omnia tempus edit.

Ecce

Ecce vorax homo sic absorbet tempora tamquam
Dente fretum, terram, ac aeris alta vorans.
Temporis, ac hominum victrix mors semper iniqua
Falce bonos, prauos, magna, minora secat.
Mors etenim fortis velocia tempora captat,
Nec fugiunt mortem, præuenit illa quidem.
Ergo minister erit mortis iam tempus; eidem
Indigne quando, munia fœda facit.
Mortis amate moram, quæ cautos tempore reddit
Tempora quod prosunt, quod nec obesse solent.
Ex tribus ad summum, quæ vobis grata fuere,
Accepta æterno cuncta referte Deo.

TABELLA XXVIII.

HAEc humilis mentem generosam reddit imago:
Alta, sed hæc instans, infima cuncta facit.
Quo plus te noscis; tunc plus te deprimes: altus
Te vocat Omnipotens, crescis, & alta petis.
Altus tunc animus terrenis ille quiescit
Nullis: vt veris gaudeat ipse bonis.
Nam Deus est centrum, quo viui tendimus omnes,
Confectaq; via, tunc requiescet homo.
Omnia iuncta simul, non possunt corda replere,
Nostra: sibi Omnipotens vult retinere locum.
Delicijsq; frui non vult mortalibus absque;
Viuere nec nos met possumus absq; Deo.
Flumina quo pacto fugientia Tantalus optat
Captare: en fugiunt, decipiuntq; magis.

 Sic

Sic res humanæ nolunt nos; siue relinquunt:
Illas nos sequimur noxius iste labor.
Nos Deus inuitat large, & donaria præstat:
Stultiq; in nostrum tendimus exitium.
Quid te solicite grandeuum, tanquam gementem
Præcipitant curæ. Semper auarus eris.
Numquam contentus requiesces stulte? laboris
Supremum lasso iam tibi pone diem.
Angustis laribus contentus viue: beatum
Te hæc ratio vite terque, quaterque facit.
Obuia succurrit nobis illustris imago,
Pluribus est vilis, sed pretiosa tibi.
Auri quid prodest argenti, ac æris aceruus?
Quid toga purpureo murice tincta iuuat?
Non vtens illis, dum cæca abscondis in arca,
Tu vere es pauper, diues & arca tua.
Horum contemptu fis diues rerum, & honorum;
Hæc si amplectaris, diues egenus eris.
Cui vero rerum paucarum sufficit vsus,
Est, & contentus iam sibi sorte data.
Qui coiunctus inest Christo: non separat illum,
Præsens, Præteritum, nulla futura mouent.
Non mors, non gladius, mundi tormenta, nec vlla
Tristi lætitiam tempore lætus habet.
Nunc ego Principibus præpono, & Regibus ipsis:
Post mortem meritò rite beatus erit.
In res nam viles, vt sunt terrestria cuncta
Abijcit haud animum: sed potiora capit.
Lector te moneo si iam peiora probasti;
Et meliora vides; vtile sume bonum.

TABEL-

TABELLA XXIX.

HAEreat hoc fili signum tibi mente tenaci;
Aeternæ vitæ si meminisse iuuat.
Qui Christi Aeterni, matrisq; & Virginis almæ,
Sanctorumq; pijs denset imaginibus.
*Non * Dagonis ibi, non * Bel, non altera imago*
Cum Christo præsens, lucifer esse nequit.
Qui Mundi technas conculcat, demonaq; atrum,
** Hostem quem secum nutrit, & intus habet.*
Nulla hunc constantem rerum iam terret imago:
Nulla inimicorum machina sternit humi.
Fractus nullius verbis, seu viribus actus,
Altius in cunctis erigit ille caput.
Fallitur à nullo; qui nullum fallit; eumq;
Christus custodit, protegit atque docet.
Est paries pictus Mundus, sed imagine turpi,
Dulcibus est prauis plenus imaginibus.

1. Reg. 46.
Esa 46.

Vulgo dicitur Caro.

TABELLA XXX.

Sit tibi semper amor depictam banc ferre figuram
In corde ò prudens; sis memor vsque tui.
Aurum si solidum fierent quæ fulua videntur,
Auri perfecti copia magna foret.
Auri, sed solidi, species tantummodo restat,
Hunc ita virtutis sola figura manet.
Argenti ò vtinam saltem nunc copia veri:
Sordibus absque vllis, & sine fęce foret,
Mortales vtinam cæpissent pandere vitæ,
Exempla, & morum iam documenta darent;
Auri nam quamuis nequeat implere moneta:
Quod debent: animo soluere cuncta queunt.
Si studium pietatis adhuc regnaret vbiquè,
Cunctaq; constarent simplicitate pia
Si essent sinceris virtutibus omnia plena;
Aurea tunc fierent sæcula grata Deo.
Auro, ac argento contemptis aurea verè
Ibis in æternum sæcla beata poli.

TABELLA XXXI.

Deniq; quas vires habeat mors ecce tabella,
Quæ docet ò iuuenis candide, sume manu.
Vt mortem fugias perquiris commoda vitæ;
Nullis, & parcis sumptibus vsque miser.
Cœli temperiem conaris habere saluti,
Aptam (dic sano nulla serena nocet.)
Qua propter Tibur contendis adire salubre
Sardiniam inuenies mox vbi Tibur erat.
Naturæ noscis, quæ noxia, cuncta relinque,
Si mollis fueris, pauper vbique peris.
Tentas præterea mortis vitare potentis,
Aduentum en propera claudere stulte fores.
Iam foribus clausis, scissuras claude fenestræ,
Te quasi clauda pedes non aliunde petat?
Mors inuicta quidem saltu velitabit, & alta
Tecta petet terrens, & pede cuncta teret;
Artes sunt iste mundi, simulacraq; Demon
Nos quibus extorquet peruigil ille pigros.
Denique sunt Mundi vana hęc mendacia fili,
Omnia, præmonitus nosce, videq; precor.
Pectore quæ certo veniet meditare subinde;
Incertam mortem: ne sit acerba tibi.

TABELLA XXXII.

HAEc simulacra nigra existunt, aliosque colore
Splendent, & phaleris quisquilijsq; nitent.
Plurima tecta hodie specie, virtutis, & umbra;
Nil validum, aut vera, sed male cuncta patent.
Sordibus imbuta, ac anfractibus omnia constant,
Si bene rimaris, candida pauca vides.
Qui nequit en lassus quidam ultra porgere pergit,
Immo ultra, & citra sistere sæpe parat.
Quidam se lautum iactabat, siue beatum,
Is cræsum simulans, attamen Hirus erat.
Alter diues erat, sed finxit nomen Egeni,
Se spernit, surgens, ut potiora petat.
Alter doctoris tum sesquipedalia verba
Proijcit, ignarus, seu quasi mentis inops.
Deniq; sunt vanis, & vafris omnia plena:
Est Mundus vacuis plenus imaginibus.

TABELLA XXXIII.

Opportuna quidem venit tam pulchra figura,
Nauit ram Omnipotens esse necesse tibi.
Auri quæ species quondam te Crasse fefellit,
Causa hæc crudelis mortis acerba fuit;
Sic hamus pisces, volucres, sic decipit auceps;
Sic herba simplex agnus, ouesq; perit.
Sunt sub imaginibus pulchris deformia multa,
Sub specie veri ludicra sæpe latent.
Non modus est rebus præscribitur vnde, nec vllus
Finis quo Mundus desinat esse malus.
Quæ sua sunt quærunt omnes, communia nemo;
Nemo memor fidei, iustitiæq; memor.
Densus imaginibus nos decipit vndiq; Mundus:
Ne fidas illi, sed bene fide Deo.

TABELLA XXXIV.

QVam modo depingo fili meditare tabellam;
Mentibus hæc imis omnia conde tuis.
Roma fuit Sancta cęlestisq; Vrbis imago,
Sæpe triumphando, dum caput Orbis erat;
Ast vbi pyramides fuerant, atque alta theatra;
Horti nunc certe sunt, vbi Roma fuit.
Hac pertransiuit furtim pessundata tota,
Et solum antiquæ paruula signa vides.
Nam quæ florebat, cecidit pars magna ruinæ;
Attamen apparet languida Roma vetus;
Et quę creuerunt magnæ vestigia prisca;
Hæc eadem ostendunt, quantula flore fuit.
Nam magis in vastis durauit Roma ruinis;
Integra quam steterat nobiliore loco.
Pullulat ast rursus, speciesq; renascitur Vrbis;
En redit, ac iterum surgit imago recens.
Multa reuiuiscent, quæ iam periere; peribunt;
Et quæ nunc viuunt, multo, & honore micant.
Vana quidem semper Mundi florentis imago;
Nam quæ nunc florent sunt peritura cito.
Viuimus ancipites interq; pericula vitæ,
Perq; vices homines stantq; cadunq; suas.
Ante oculos semper versetur imago viator,
Hæc tibi; sit Christus semper in ore tuo.

TABELLA XXXV

HAE tibi sint Romæ, quas pinxi mente reposta,
Quas tibi do species pectore cautus habe;
Roma fuit tanquam fugientis imaginis vmbra;
Sic es; preterea quid tibi restat adhuc?
Densa alio sicut mutatur protinus vmbra;
Sic Mundus pariter, te fugit, & sequitur.
Vmbra quidem est Mundus, sed iure videris, & vmbra,
Quæ à te procedit; quam teris ipse pede.
Quam si amplectaris manibus, seu tollere tentes:
A' tellure oculis, menteq; captus eris.
Aurum, ac argentum terrę sunt puluis opaca
Viribus hæc sequeris corporis, ac animi.
Istorum causa sudas, algesq; laborans;
Et genium fraudans cuncta libenter agis.
Fortior es Roma, quam mœnia tanta fuere?
Non ferri es certe, non adamantis opus.
Mille annos viues: tandem moneris; & ista
Ante oculos Christi sunt tua mille nihil.
Vt mortem fugias perquiris commoda vitæ.
Nullis, & parcis sumptibus vsque miser.
Plurima que nescis quid sint; pro viribus optas;
Quod cupis obtento; commoda mortis habes.
Quidam ait ipse sibi, exculta, lętusq; quiesce. Luc.12.
In multos annos: iam bona multa tenes.
Christus ait: demens à te quæ parta fuere,
Cuius erunt? nocte hac en moriere male.

Istam

Istam preteritam ni vitam ducere cesses:
Parcæ lanificæ iam tibi fila legant:
Artes sunt istæ vastræ, simulacraq; Dæmon,
Nos quibus extruxit peruigil ille pigros.
Vtens alterius damnis mendacia vitæ,
Mundi; premonitus, cunctaq; rite vide.
Fac bene, viue bene, & miseris succurrere disce:
Cuncta vt succedant prosperiora tibi.
Mathusalem vitam: totos superabis, & annos
Nestorios; cedé florida Roma tibi.
Nunc animé propriæ concedas non moriture,
Quod das mortali corpori, & exiguo.
Corpore pro vili, & fœdo sine fine laboras,
Proque anima pulchra, & nobiliore, nihil.
Ergo age visceribus, quem totis diligo frater,
Incipe iam verbis credere queso meis.
Candidus vt multis largiris munera amicis,
Sic tibi magnificus candidus esto prius.
Nec te decipias dum differs tempus amandi
Christum; dic quando iam tibi tempus erit.
Si bene viuendi tempus protendis in annum,
Tamquam, qui expectat, dum fluat amnis eris.
Tu post consilium subito tibi consule primum,
Namque aliter faciens, iam tibi auarus eris.

TABEL-

TABELLA XXXVI.

Pulchra quidem, insignis nobis occurrit imago,
Vtilis, & verax corde notanda pie,
Propter te Christus sudauit passus iniqua;
Propter te proprium, tu nihil ipse facis?
Aspice quot Christus patiatur probra libenter;
Corpore; quot pœnas, menteq; sustineat.
Morte sua soluit pęnas: quas iure mereris,
Nititur, & sordes sæpe lauare tuas.
Niteris infœlix sordescere, & addere culpas
Culpis: deciperis prohdolor, ecce paris.
Dulcis imaginibus reficiens nos Christe secundis,
Aduersis postquam pectora nostra moues;
Nos consolaris subitis, lætisq; figuris;
Si quando mœstis anxia corda vides.
Expulsis tenebris mittis post nubila solem
Nullis nos vnquam deseris auxilijs;
Sic Iob, sic Ester, Susannam, siue Tobiam
Afficis humanis, muneribusq; sacris.
O homo tam imprudens, quare tam multa relinquis;
Munera; largiturque tibi magna Deus?
Ergo age care mihi prudens imitare beatos,
Quando præsentes hos cupis esse tibi:

TABELLA XXXVII

NOn hanc materiam, non artem, siue colores:
Sed quod significant, aspice quæso senex.
Hanc tabulam cęca perpendis imagine pictam;
Est amor hic reddens omnia cæca cito:
Quisq; sui plane proprio obcęcatur amore;
Hic cæcos homines prolis amore facit.
Est amor, vt vinum perturbans omnia; reddit
Ingenium obtusum, debilitatq; caput.
Gen.19. Ignaræ natæ ignoro loth, vina dedere.
Ebrius inde quidem, ridiculusq; pater.
Id circo Eugenius ne clerus prolis amore
Turbetur sancto flamine ductus agit.
Idem amor obcæcat fratres natosq; patresque,
Fallitur à caro tam male quisq; suo.
Crimina carorum nobis leuiora videntur.
Imò defectus nemo videt proprios.
Quanto quisq; magis dilecta, & proxima cernit:
Efficitur cæcus tum magis, atque magis.
Qui tam prolixis contendunt litibus ipsi,
Quod repetunt: credunt id dare iura sibi.
Iuris consultus verbis deceptus amicis,
Vexatus toties: tu bene dicis, ait.
Quippe sui multi confusi prorsus amore,
Perquirunt cupidi, & noxia sæpe petunt.
Sic ea quæ facimus manibus, seu mente paramus;
Sunt tanquam nati, decipiuntq; satis.

Hæ

Hæc nunc quæ ludo, sunt certe carmina, partus;
Irascar si quis scindere nostra velit.
Ista odisse docet, potius præcidere Christus
Præcipit: hoc odium magno ab amore venit.
Nos perdit nostri, & nostrorum excessus amoris,
Et quandoq; odium nos facit incolumes.
Sed nos, & nostros (quæris dum tempus) amemus;
Cura sit, ac studium semper amare Deum.
Hæc eadem est nostra, & nobis inimica figura,
Liber vt existas, rite precare Deum.
Omnia perpendens aliena pericula fies,
Cautus, quin felix, si mihi credis, eris.
Qui mihi non credit, temere se decipit ipse,
Dum meliora videt, deteriora sequens:
Omnia fac ergo sapienter motus amore,
Aut odio ò lector, nil male prorsus age.

TABEL-

TABELLA XXXVIII

IMpiger ignauos iam iam contemne sodales,
Atque malas hominum cautus omite vias.
Accipe nunc tandem, quod iam tua stulta iuuentus
Exigit (accedas) stultitiamq; vide.
Dalida Sansoni multorum causa laborum
Extitit heu similes quanti ita sponte ruunt.
Lancee loca æquali volitantia gaudia carnis
Pœnas æternas, totq; futura mala.
Blanditias quando muliebres quæris, emisque,
Quam caro? quanti stat tibi habere nihil?
Quod caput, est animam damnas, & spernis honores,
Spernis amicitias, tempus inane teris.
Tantus amor casus infestos posse probare,
Telis ipse tuis, vulnera facta feres
Quo te quæso pedes? quo nam via ducit. Auernas
Sulphurei sedes heu Phlegetontis adis.

TABELLA XXXIX.

ECce tene manibus Veneris monimenta pudenda:
Aspice: sed minime sunt imitanda tibi.
Est à fratre suo Thamar violata repulsa,
Bacchatur demens vocibus, & lachrymis; 2.Reg.13.
Mœstis perturbat totam eiulatibus aulam,
Et queritur repetens: hac mihi frater agis?
Amnon id circo ægrotas, ardesq; sororem:
Huius vt ipsius tędia deinde feras.
Infestas fratres reliquos, mœstumq; parentem;
Fratris, & ex Epulis mortuus ense cadis.
Vtile quid tanto traxisti ex crimine quæso?
Micaq; die mellis quid dedit ista: nibil.
O' quot sunt artes fallacis Dæmonis, & quas
Pictoribus nostris insitus hostis habet.
Nos quibus aggreditur fraudator, Mundus in artes,
Nos tentat, mordet, nosq; subinde ferit.
Densus imaginibus paries mendacibus alter,
Nos alio fallit sæpe colore bono.
Funditus est Mundus, nulla extricabilis arte,
Nodus illius soluere nemo valet.
Fraudibus, insidijs, curis, laqueisq; repletus,
Est Mundus; quare perdite Munde, vale,
Semper ama cunctos cunctis, & amabilis esto;
A' cunctis vt tu semper amere piè.
Caros, & nobis deuinctos sanguine fratres
Semper amare decet, reddere nulla mala.

Est amor hic licitus cunctis, sed amare proterue
Est odisse animam, vel maculare suam.

TABELLA XXXX.

QVando fert animus venerandam cernere formam
Vt mihi dixisti, Religiose, cape.
Ecce figura viri vastas habitantis Eremos
Desertas sedes, lustraq; vasta colit.
Est clarus pietate pijs virtutibus ingens.
Solatur miseros, voceq; req; simul.
Dæmonia nam sæuum superauit sæpe triumphans,
Hunc horret Phlegeton, Tartara nigra tremunt.
Ille casa minima veste, & contentus inerte:
Ex vili panno prorsus, & arte caret.
Mollia contemnit, sed strata cubilia longè
Semper ab esse facit, dormit, humiq; iacet.
Parca autem mensas Cereris manus implet, & erba:
Turbida dat potum; quæ fluit vnda lacu.
Omnibus est rebus mundanis nulla voluptas,
Christi sola sibi, vulnera læta tenet.
Hęc contemplatur semotus nocte, dieque,
Est Christus cordi, cętera vana putat.
Accipit à Domino præsentia talia dona;
Humanæ vt superent cognita cuncta via
Hunc Reges metuunt, namq; est formidabilis illis,
Cui parent volucres, paret, & ipse leo.
Quem pisces adeunt præsto, mandata facessunt,
Eius, terra, aer, orcus, & vnda freti.

Conscius

Conſcius at contrà ſibi blanda voce puelli:
En nullo properans hoſte ſequente fugit.
Conſcia mens rectè terret ſi forte tyrannus,
Contemnit plagas, funera nulla timet.
Virtus eſt turris, vel murus aeneus illi
Nobilis, & terris, & veneranda polo.
Qui doctis homines inſtauras: vocibus orna
Huius res geſtas, ſanctaq; dicta viri.
Illum etiam totus deuotus rite precare;
Dignetur præſto lætus, & eſſe tibi.

TABELLA XXXXI.

INternis impulſa rotis, attractaq; ſenſim
Orbibus hæc ſonitum mittere nola ſolet.
Materià vtrunq; bis ferrum durabile præſtat:
Id rubigo tamen redit, & vſus edit;
Dentibus attritis tamdem rubigine, & vſu
Fallit, & abſurdos nola dat ære ſonos.
Sic iuuenis, cerebrum, cui ceu rota vertitnr vſque,
Soluitur in vitijs; dum terit ille dies.
Interpes mentis. Sic delirante cerebro
Delirat pariter, ſtultaq; verba facit.
Non ita qui dulces vita bene collocat annos:
Namque in vtrnnq; manu regia ſceptra tenet
Non dolor, aut ſenium abſurdas facit ederpe voces:
Quin, quæ verba facit, ſunt ea grata polo.
Confectus ſenio Dauid, geliduſq; ſenecta
Cæleſti cantat carmina læta choro.

In me-

Matathias In medijs ardens senior * Machabææ fauillis
Et facis, & loqueris semper vtrumque bene.
Ergo roras cerebri rationis pondere siste:
Vt bene lingua sonet, stultaq; verba fuget.
Deficit haud virtus animi; nec corporis vnquam,
Sanctos cui mores sancta iuuenta dedit.
Fortior efficitur semper, probitate refulgens
Hoc bene qui cœpitum pergere tendit iter.
Sed male consumptos annos doleamus; ab alto
Poscentes veniam iam miserante Deo;
Et proponamus meliorem viuere vitam
Semper crescentes, sic magis, atque magis.
Sic erit ò lector tunc fœlix, faustus, & annus.
Sic erit, & nobis vltima grata dies.

TABELLA XXXXII.

DE me depictam tandem tibi trado tabellam,
Non dedigneris sumere amice, manu.
Ad te confugio, tu me defende timentem:
Adsis absenti, fer mihi dexter opem,
Vt seruent pecudem, vigilat de nocte fideles,
Pastores: ideò nulla pericula timent.
Christi Pastoris simplex, humilisq; catellus,
Sum latrans pello, fugoq; lupos.
Attamen (vt dicunt) teneor iam pene futurro:
Quod prauos mores persequar, & vitia.
Non detractorem; non me cognosce malignum,
Sed Domini zelo dicere cuncta tene.

Non

Non ego tentaui nostris his versibus vnquam
Cuiusquam mores sic aperire malos :
Non iugulare parq, sed deterrere iacentes
In vitijs, vt sint de grege, Christe, tuo .
Nemine detecto generatim carmina pungunt .
Nemo se prodat, dum sibi dicta capit .
Aegre qui tulerit coram ; clam crimina dicta :
Se coram pandens proferet esse reum .
Excussæ muscæ semel vt stridore columba :
Horret ; sic agnus saucius ore lupi .
Nec non ægrotus, si quisquam accedat ad illum,
Non tactus tanquam vulnera tacta dolet .
Cordi lectoris depingo, namq; benigni ,
Quæ fugiat monitus crimina aperta sibi .
Te precor inspicias hæc candida carmina, amice,
Et tacitus voces permeditare meas .
Si nihil inuenies vitij, tunc omnia Christo
Tuq; accepta refer, qui tibi cuncta dedit .
Si quid, & inuenies toruum : mox corrige : namq;
Iam tibi contrito parcet, & omnipotens .

TABELLA XXXXIII.

A D summum ecceduas, fili, tibi sume figuras:
Hic tanquam in speculo; cętera rite vides.
Christus imaginibus sanctis nos ducit ad altas
Sedes Cœlistes, dans documenta bonis.
Dæmon imaginibus prauis nos ducit in imas
Sedes tartareas præcipitatq; malos.
Scire cupis qualis sit noster Christus imago?
Totius est Mundi lumen imaginibus.
Aspice iam Matrem, quæ pulchra vt luna figura
Accipit à nato lumina grata suo.
Stella maris, Mundi lumen, tum tartara claudens,
Gloria sanctorum, gloria sancta Poli.
Virgo Dei genitrix Mundi tu vincula solue,
Quæ is nos constringit Mundus, & excruciat.
Tristis imago fuit moritur dum Christus, & illa
Verbera te torquent, visceraq; ima terunt.
Natum dum penetrat mucro, tum sæuus alendo
Saeua tuo lacero vulnera corde nouat.
A lacrymis quis nam tam durus temperet, artus
Dum lacerum Christum cernit, & ista pati.
Quis non tristetur Cœli moderator, & orbis
Quod Christe indignam perpetiare necem.
Virgo Dei Mater diris iactata procellis:
Quas sumis pœnas, quæ mala tunc pateris?
Quam grauis illa fuit Christi morientis imago,
Tam iucunda fuit, dum tibi viuus adest.

Dum

Dum verò Christus deuicta morte resurgis:
Dulcis imago quidem, dulcia cuncta tibi.
More triumphantis dum fis Regina polorum,
Ponitur, & capiti sacra corona tuo.
Dulcius esse potest quid seu iucundius alma,
Dum tibi cum nato gaudia iuncta vides.
A' dextris nati residens, dum veste coruscas
Aurata, & stellis es redimita caput:
Illæ tunc stellę totidem sunt, credo, figuræ:
Quæ diuum, ac hominum pectora læta beant.
Afficis o quanto Cœlum mea mater honore,
Est orbis lætis densus imaginibus.
Surgis imago quidem spectabilis vndiq; cunctis,
Tam pia, tam diues, qualis imago fuit?
Quæ dum spectaris puris, oculisq; propinquis,
Pulcrior appares, & sine labe magis.
Inferiora vides clemens, ita suspicis alta:
Dextera tibi quæ sunt, queq; sinistra iuuant.
Deformes recipis, speciosas siue figuras;
Omnibus es portus, confugiumq; potens.
Quæ tibi sunt similes, acceptas Virgo, parensq;
Aspicis insontes, aspicis ipsa reos.
Sicut in Oceano splendentem surgere solem,
Cernimus, inq; polo spargere sæpe comas.
Flamine sic sancto illustras nos, Christe, reducens
In te dum accendis, spiritus igne tuos.
Sicut, & apparent rutilantia sydera circum
Lunam, quæ tota fulgida nocte micat.
Virgo procellarum sydus; sic ianua Cœli:
Ad Cœlum nostrę dirige nauis iter.
Lumine nam superas tu sydera clara minora,
Luminibus renoua viscera nostra tuis.
Nos sumus in causa, quod fœlix Virgo fuisti

Electa

Electa in matrem à cunctipotente Deo.
Nostra vt mundaret venit nam crimina, quare
Humani generis nunc miserere parens;
Edocta es nostras duras tolerare figuras;
Ipsas nos etiam docta magistra doce.
Vbera Virgo mihi concede; vt pascar amoris
Lacte: imple niueo Virgo liquore sinus.
Vulnere, Christe, tuo præcordia transfige nostra,
Et Cęli facibus pectora tarda feri.
At quoniam sponte atherea delapsus ab arce es,
Nostrum immane tua morte piare nefas.
Quod te summa egit bonitas mala nostra subire,
Pro me illa incassum, ne tibi passa velis.
Spiritus, ò proceres Domini, cęliq; quirites,
O' diui, ò mater; Virgoq; sancta Dei
Vos precor æterna compostus pace quiescam,
Consors sim vestri: seruus, & ipse Dei.
Viuere pertæsum est inter mendacia tanta,
Vitare exopto hæc insidiosa mala.
Simus imaginibus, mortales deniq; densi:
Vt liceat nobis ora videre Dei.

F I N I S.